Stanislai
Adalb. Joach. Remedia iuris contra violentiam fatorum.

REMEDIA JURIS
Contra violentiam fatorum,
Ad instantiam Virtutis, Sapientiæ, & Meritorum,
In obitu
PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. M. STANISLAI MAMCZYNSKI
J.U. DOCTORIS & PROFESSORIS, COLLEGÆ Juridici, Ejusdemq; Collegii SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Parochialis in Przemykow PRÆPOSITI, Illustrissimi Consistorii Generalis Crac: JUDICIS SURROGATI, Contubernii Jurisperitorum PROVISORIS, Universitatis Cracov: PROCANCELLARII, Canonizationis Beati JOANNIS CANTII PROCURATORIS, &c:
De Ecclesia DEI, & de Republica Literaria meritissimi.
EXPORTATA.
Et dum Ei justa funeralia
In Ecclesia Collegiata SS. OO. Cracoviæ,
cum ingenti Ordinum Academicorum dolore persolverentur,
PER
M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, Eiusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM, Ecclesiæ Collegiatæ S ANNÆ CANONICUM, ac protunc Artisticæ Facultatis DECANUM.
Venturæ Posteritati
INTIMATA.
Annô Domini 1761. Die 21. Octobris.

C R A C O V I Æ.
TYPIS COLLEGII MAJORIS.

REMEDIA JURIS,
Contra violentiam fatorum.

O rigidas & inevitabiles fatorum leges!
O deplorandum rerum humanarum ſub Sole Statum!
Pereunt non ſinè jactura, ſubitîs aliquandò vicibûs,
quæ à natura vel arte magiſtra
Æternitati donata eſſe, & arbitrabamur & volebamus.
Non magis Pater, quàm parricida tempus,
quæ in tempore orta & aucta ſunt,
in horas & momenta edax rerum conſumit.
Jam nunc libenter concederem non fuiſſe fabulam
dentes tempori chalybe duriores eſſe,
cùm nil ſit etiam Pario de marmore factum,
quod ſubitò tanquàm ſtipulam non comminuat.
Contrita ſunt utiq; Thebanorum mania,
quantumvis are fuſa fuere.
Ipſa non niſi ægrè colligit fragmenta Ægyptus
è fracto quem nuper indigitabat Solis Coloſſo.
Nec irem inficias tantæ fatorum violentiæ,
ſi exciperentur ab illa
omni exceptione majores Viri.
Sed nullum ſuus tutatur honor
à peremptorio ſævæ nimis Libitinæ termino,
nulla exceptibilis ætas vel Dignitas,
nulla dies & hora metu vacua,
nullus locus ſub Cœlo immunis.
Quæ vos o tanta cæpit licentia fata!
non omnia licent quæ libent.
Quod nam in doctum jus habetis caput?
quibûs mortis ligatur legibûs
Superſtes etiam poſt funera virtus?

Quæ

Quæ caduca ſunt juri ſubſunt fatorum caduco,
ſed non quæ ſuo in robore firma & æterna.
In tantum vallata ſunt immortalitatis privilegiis
Omni ære pretioſiora animi bona,
ut ex illis fatalis nil poſſet decerpere caſus.
Qui intaminatæ virtutis fuere in vita poſſeſſores;
ſunt etiam poſt fata legitimi rectefactorum Hæredes,
& ideò ab omni mortis impetitione ſemper liberi.
Non niſi ad lacinias corporis ſe extendit
illud ſtatutum
cui contingit naſci, reſtat mori,
ſed non ad meliorem vitæ partem.
O vitiatum nuper fatorum Proceſſum!
o duram nedum hodie inclementiam lethi!
Quô titulô licuit,
Virum de Eccleſia DEI ſemper bene meritum,
Literis ac Literatis deſideratiſſimum,
vividum ingeniô,
Viribûs integrum,
dotibûs percelebrem,
authoritate gravem,
gratiâ PRINCIPUM florentem,
virtute & ſapientiâ ubiq; commendabilem,
Perilluſtrem & Reverendiſſimum olim
M. STANISLAUM MAMCZYNSKI,
J. U. DOCTOREM & PROFESSOREM,
Eccleſiarum Cathedralium Crac. CANONICUM,
Premykovienſis CURATUM,
Almæ Univerſitatis Crac. PROCANCELLARIUM,
ſinè præſcripto termino,
ſinè omni monitorio
ad mortalitatis peremptoriè provocare forum.
Et quod eſt tale jus abſolutum fati?
contra exemptiones virtutis & eruditionis.

1279 Ubi immaturæ mortis æquitas & ratio?
Sapientiſſimo J.U. DOCTORI inhibere Cathedram,
æquiſſimum Conſiſtorii Cracovienſis JUDICEM Surrogatum,
ad communem quibusvis hominibus ſubeundum pænam
violenter nuper velle cogere.
Ab Almæ Univerſitatis Cracovienſis PROCANCELLARIO,
nullam in ulteriori proceſſu licentiam petere,
ſed eam violenter eripere.

Proinde

adverſùs tantam, tanto Viro illatam violentiam,
virtus, eruditio, & longo ordine recenſenda Merita,
non modò proteſtantur quàm ſolenniſſimè
verùm quàm in pleniſſima forma
exportant REMEDIA JURIS.
Et jure quidem optimo;
Nefas fuit hunc mortalitatis ſubjacere legibus,
qui nihil non dignum immortalitate geſſit.
Non potuit ad fatorum ſpectare forum,
cujus poſt fata ſuperſtes fama
inevitabilibus mortis contrariatur decretis.
Nec eſſe poſſet ulla major toto Cœlò injuria,
quàm ea breviſſimîs vitæ concludere ſpatiîs
quorum menſura venientia erunt ſæcula.
Non ne ergò cæcum Numen Libitina,
dum cæco cum STANISLAO proceſſit impetu.
Nôſſet meliùs Perſonarum delectum,
ſi non modò vidiſſet, ſed etiam palpâſſet,
ejus eruditionis, vitæ & virtutis,

Proceſſum,

è Protocollo laudabilium Actorum

Extractum,

& nuper ad ingreſſum
Doctoralis Jure in Utroq; Cathedræ

Publicatum

Reſciviſset

Resciviſſet hinc quòd fuit MAMCZYNII Patria,
Regina Urbs Urbium in Polonia Cracovia,
Regum Coronîs & exuviîs ſupereminens,
Cœli Indigetum domiciliô percelebris,
publicæ ſecuritatis locus:
quæ ut Turribûs ſuîs Cœlum verſús attollitur,
ſic & Magnîs quavis ætate Virîs excellit.
Legeret aurô cedrôq; notanda acta
SEBASTIANI MAMCZYNSKI,
PROCONSULIS CRACOVIENSIS,
& CATHARINÆ PARENTUM,
in quorum totius vitæ proceſſu,
ad regulam & normam intaminatæ virtutis formato,
etſi ipſe olim de *Vrbe* deſcendiſſet Cato,
nil lynce pupilla, dignum cenſurâ obſervâſſet.
Viva eſt & poſt ſui fata Anteceſſorum imago,
ſtans meliùs à fatali caſu Majorum laus STANISLAUS,
de quibus tantum virtutis & gloriæ decerpſit,
quantum Protegenis aut Apellis manus
non potuiſſet decerpere, & æternitati ſervare.
Appello teſtem, ejus lacte ſapientiæ Altricem,
Almam ſcientiarum Matrem Univerſitatem Crac:
Gaviſa fuit hæc magnorum Genitrix Virorum,
dum ad quævis maxima natam vidit indolem.
Jam in aurora certò certiùs prævidebat,
quid ſerus vehat veſper,
ex illis quæ prominebant naturæ & virtutis igniculis.
Cùm necdum cum Papyrio exuiſſet prætextam,
tanquam Reipublihæ Literariæ futurus Stator & Conſus,
quæ togatos decent Viros agebat.
Exercebat quidem in Scholaſtica arena luſus,
ſed quæ non ludicra aſt ſeria ſapiunt.
Ad quam per omnes gradus devenerat ejus Sapientiæ,
fuit initium timor Domini.

1281 Junxit enim eruditionem pietati,
pietatem eruditioni.
Inter caſtum Muſarum chorum
& compoſitum ad verecundiam præſeferebat vultum,
& optimè comptos ſemper præſentabat mores:
Æſtimavit ut plurimùm hæc ejus talenta,
recti honeſtiquè ſtudioſiſſima,
ingeniorum indagatrix,
Virorum arbitra
Jagellonica Pallas.
& dum ea in gravis judicii ponderaverit ſtatera,
cenſuit in ſinu almæ Matris reponenda,
& in Archivo Academico aſſervanda.
Aliàs
omni virtutum genere ornatiſſimum
STANISLAI MAMCZYNSKI animum
excultam Artibûs Liberalibûs mentem,
erudita fætum Pallade caput,
poſt rigidum ſui ex officio examen,
utraq; in Philoſophia exornavit & coronavit Laureâ.
Quoties ſuperiorem Artiſtarum conſcendit Cathedram,
toties fuit ſui memor Sacramenti Doctor.
Ejus ſolidi in Peripato laboris
pleni ſunt Decanales Libri,
Quamcunq; Philoſophus ſuſcepit Spartam,
non modò ab ea fuit exornatus,
ſed etiam illam pulcherrimè exornavit.
Legit pro munere non perfunctoriè,
priùs domi inſtructus diſputavit è loco expeditè,
peroravit pro Roſtris fluidè,
& quod non modò ſatis, ſed plùs quam Academicis ad gloriam
ſemper fideliter laboravit.
Ad vitæ ſuæ deſideratiſſimæ tempora,
pro ætate, Statu & viribus
publicum Univerſitatis hujus promovit Bonum.

Est ars artium in Academiis maxima
educandæ ad Sagum & Togam Juventutis.
Illius felicitatis, prudentiæ ac fidelitatis fuit.
in Pinczovien: Scholis,
in Vladislaviano Novodvorscianis Classibus
& Hieronem, & Archinavarchum agere.
Quantùm profuit ad eloquentiam *Ciceroni*
Possidonius,
ad bonitatem & clementiam *Trajano*,
Plutarchus,
ad res gloriosissimè gestas *Epaminondæ*
Lysias,
ad cognitionem rerum Divinarum humanarumq; *Aristoteli*
Plato,
ad gubernandam feliciter Rempublicam nostro VLADISLAO
Callimachus;
tantùm ille natis ad Sceptra & Fasces Polonis Ascaniis,
dum præfuit ad uniuscujusq; statum profuit.
Ejus mira eruditione & morum gravitate allectus
CELSISSIMUS PRINCEPS,
Illustrissimus olim & Excellentissimus Dominus,
D. JOSEPHUS CZARTORYSKI,
DUX in Klewan, Korzec & Olexienice,
Supremus M.D. Lithvaniæ olim VEXILLIFER,
Illius judiciò ceu Lydo lapide probandam
Celsissimæ Domus suæ & Virorum gemmam,
de Ducibus CZARTORYSCIIS,
Nominis, gloriæ & meritorum Heredem
adpræsens Regni VENATOREM dignissimum,
non modò æstimationi sed etiam privatæ educationi reliquit.
In eo docendo quàm perspicax fuisset,
ex illius nunc pro Aris & Focis promeritis,
& colligit unusquisq; & intelligit.

Quis igitur rectam non intuliſſet conſequentiam,
è tam claris MAMCZYNII laborum præmiſſis,
ulteriorum & in Eccleſia DEI, & in Univerſitate graduum.
Admirabantur ſinguli ejus animi magnitudinem,
in Domo Minori
quam creſcentia in dies merita ſemper altiùs attollebant.
In illo ad quævis magna vocatîs Virîs percelebri Collegio,
& quod omnium Collegiorum Seminarium eſt;
jam Ariſtoteles ſuum volebat eſſe MAMCZYNIUM,
jam Divina ſcientia expanſîs manibûs expectabat STANISLAUM
Nec ita palmam præripuit Cæleſtis Aſtræa,
ne ſimul majori in parte ſatisfactum fuiſſet,
& aliis in corpore Univerſitatis Facultatibus.
Ad Collegium Juridicum vocatus
ex quo ab antiquo Polona ſumit oracula Themis,
junxit Ariſtotelem Juſtiniano
ne foret acſi informe ſine ejus organo Corpus Juris.
Ut in jure ſemper perſpicaciſſimus fuiſſet,
erat ſemper mens ejus limatiſſima,
Solis Thomiſtici Deferens.
Auxit ut plurimùm ſui Nominis & gloriæ famam
in Majori Polonia,
cùm difficillimîs illîs (cui conſtare poteſt) temporibûs,
perantiquæ Poſnanienſis Academiæ,
STATOREM & DIRECTOREM egerat.
Non pænituit Univerſitatem
in ejus Colonia hunc habere Superiorem,
Cujus Nomine,
apud Majoris Poloniæ Proceres ampliſſimos
hucusq; optimè audiret.
Fuit Illi acceptiſſimus ſemper,
qui de eruditis poterat & noverat judicare.

Illuſtriſ-

1284

Illustrissimo & Reverendissimo Domino,
JOSEPHO *à Kierz* KIERSKI,
EPISCOPO BOLINENSI,
Suffraganeo & Officiali protunc *Posnaniensi,*
nunc Regni SECRETARIO.
Ejus eruditionem,
edecumatum judicium,
atq; incredibilem rebus in agendis dexteritatem,
colebat nimis & æstimabat,
rigidissimus rerum & Personarum æstimator,
CELSISSIMUS PRINCEPS,
Illustrissimus olim & Reverendissimus
CHRISTOPHORUS ANTONIUS
à Słupow SZEMBEK,
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS,
Regni Poloniarum PRIMAS primusq; PRINCEPS,
Cui quomodo magnarum quarumvis rerum à consiliis fuerat,
Europæo testatus est Orbi,
cùm Canonizationis B. BOGUMILII,
Archiepiscopi Sanctissimi Gnesnensis,
in generalem Eundem PROCURATOREM constituerit.
Magna sunt, quæ pro Sancto non modo dixit,
sed etiam scripsit & egit.
Quæ singula auro Cedroq; notanda,
jam seræ posteritati sunt transmissa.
Emanavit horum & aliorum Ejus gestorum fama,
etiam ultra Poloniarum limites;
quæ licetsi peregrina sit,
tamen est oculatus testis,
Quis, Qualis quantusvè fuerit Vir?
MAMCZYNIUS.
Consimili Studiô fuit

 in eo

in eo ornando, & æstimatione prosequendo,

1205 CELSISSIMUS PRINCEPS,

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,

CAJETANUS IGNATIUS SOŁTYK,

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

DUX SEVERIÆ,

Universitatis nostræ CANCELLARIUS Faventissimus.

Quem non modò Generalis in Regno Studii,

aliàs Regiæ hac Regum Coronatrice in Urbe Scholæ,

omnium Facultatum PROCANCELLARIUM constituit,

sed etiam Illustrissimi sui Officii,

JUDICEM SURROGATUM fecit.

In utroq; æquè gloriosissimo ac onerosissimo Munere,

quantùm tulit, sudavit, & alsit,

qui Acta Ejus vel in parte legerit,

intelligere potest, & seram posteritatem informare.

Quoties pro Tribunali sedit JUDEX æquissimus,

toties unicuiq; quod suum est reddebat.

Ejus secundùm jus & æqvum semper sententia,

immunem absolvebat innocentiam,

& non unius sceleris rea condemnabat vitia.

Sub hoc Universitatis Crac: PROCANCELLARIO

ad superiorem virtus & eruditio promovebatur gradum,

& quidquid non juxta regulam eruditæ fuit virtutis,

id omne non licere, studiosis mentibus inculcabat.

Repetitis vicibûs in Universitate RECTOR,

bina D. JAGELLONIS ita gessit Sceptra,

ut clavam Hercules,

caduceum Mercurius,

Jupiter Sceptrum.

Nempè

fuit in rebus agendis prudentissimus,

pro publico Bono zelozissimus;

in regi-

in regimine felix,
in laboribus & adversitatibus infractus,
domi forisq; Legum zelator.
Raro tonantem sæpiùs juvantem gessit Patrem,
accessu facilis,
ore, vultu, & gestibûs ipsas spirabat gratias.
Si non superavit tunc æquavit,
profundô judiciô Catones,
corporis & animi majestate Augustos,
infracta in agendo dexteritate Achilles,
liberalitate demùm Nervas & Tyberios.
Hac Regni totius in Metropoli,
quotquot sunt præsertim mendicantium ex Ordine,
Sacrarum Familiarum Cætus,
tot sunt ejus in se munificentiæ vivi testes.
Quicunq; ad eum accessit aliqua necessitate pressus,
ad vota sui recessit satisfactus.
Illos salutiferô juvabat consiliô,
alios ope & Authoritate sui sublevabat.
Dedit fideles ad Vineam Ghristi Operarios
Ordinandorum EXAMINATOR,
Non modò quæquæ Fidei & bonis moribus contraria,
per Diæcesim Librorum CENSOR proscripsit.
Sed simul editis *Posnaniæ* Commissorialibûs Praxibûs,
juris & æqui studiosos illustravit.
Ejus perspectæ in omnibus prudentiæ,
miræ activitatis & in bonum commune zeli,
satis dedisse videtur testimonii.
Archipræsulum & Pontificum Seminarinm,
Infulatis, & infulandis supereminens Capitibûs,
Peraugustum Crac: Cathedræ Capitulum,
dum Eum in generalem PROCURATOREM elegit,
De illius sapientia, virtute & meritis,
constat Tibi vel maximè

C2 Illustrissi-

Illustrissime & Reverendissime Domine,
D. FRANCISCE
de Podkana
PODKANSKI,
PATARENSIS EPISCOPE,
Suffraganee & Officialis Generalis Cracoviensis,
Virorum Ponderator Maxime,
Cujus JUDICEM SURROGATUM,
integerrimè & gloriosissime egerat.
Hic talis tantusquè Vir.
nuper apoplexiâ tactus,
proh dolor! violenter à fatis nobis ereptus.
Occidit ille multis bonis flebilis,
sed Tibi maximè deflendus
jam vix non in Nioben versa,
seniô grandæva Alma scientiarum Mater,
cujus oculorum lumen, & rerum columen erat,
qui nuper in vivis desiit esse MAMCZYNIUS.
Sed non deest illi Tua patrocinans gratia,
integritatis Academicæ *Vindex Acerrime,*
RECTOR MAGNIFICE,
Perillustris & Admodum Reverende Domine,
D. M. CASIMIRE JARMUNDOWICZ,
Utriusq; Juris DOCTOR emeritissime,
Collegii Juridici SENIOR PATER Dignissime,
qui dum ei Tuîs manibûs justa reddis funeralia,
eô ipsô contra violentiam fatorum,
exportas REMEDIA JURIS.
Nos verò ad parentandum emeritissimo Patri
has Sacras in Ædes quotquot evocati sumus,
in Cælestia Curia!
precibûs & lachrymis erimus
ACTORES.